

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

De Divina Psalmodia, Ejusque Causis, Mysteriis, Et Disciplinis, deque variis
Ritibus omnium Ecclesiarum in psallendis Divinis Officiis, Tractatus,
Historicvs, Symbolicvs, Asceticvs. Sive Psallentis Ecclesiae Harmonia -
Opus novum, & curiosum, ac multiplici eruditione illustratum ... Operum ...

Bona, Giovanni

Parisiis, 1678

§. 1. Orandum esse post solis ortum. Laudatur sol, eiusque ortus
describitur. Fabula Memnonis. De cultu solis, & eius falsa apotheosi. Inter
priscos adorantium ritus etiam oscula adhibita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9929

*Colles frugiferi, lignaque sylvæ,
Montes. & viridis grama uallis,
Fæcunda segetes, dulcia poma,*

Summo psallite Regi.

*Brutæ quadrupedes, reptile terre,
Immensas Domino reddite grates:
Omnisque Alitum musica molles
Promat gutture cantus.*

*Infantes teneri, lata juventus,
Simplex virginitas, cana senectus,
Huc denso properent agmine, & astræ
Pulsent laudis honore.*

*Rector coelitum, te canat Indus,
Te psallat nitidi potor Enipei,
Mauri te celebrent, & tua dives
Volvat nomina Ganges.*

*Alternis resonent cantibus hymni,
Iungantur modulis organa mille,
Sambucae, citharae, tympana, plectra
Sistrum, fistula, cornu.*

CAPUT VI.

DE PRIMA.

§. I.

Orandum esse post solis ortum. Laudatur Sol, ejusque ortus describitur. Fabula Memnonis. De culiu solis, & eius falsa apotheosi. Inter priscos adorantium ritus etiam oscula adhibita.

OFFICII nocturni cursum jam ut nostra imbellitas tulit, laudisque matutinæ mysteria devota mentis actione transegimus: nunc diurnæ servitu-

L iiij

tis pensum nos vocat; nunc solis orientis radius oculos restituit mundo, confusas rerum species distinguit claroque luminis splendore faciem quamdam, ac venustatem cunctis rebus infundit. Sol incipit, ait (*a*) Ambrosius, munda oculos mentis, ô homo, animique interiores obtutus, ne qua festuca peccati aciem tui præstringat ingenii, & puri cordis turbet aspectum. Procedit sol magno, jubare diem, magno mundum complens lumine, vaporans calorem. Cave ô homo solam ejus perpendere magnitudinem, ne nimius fulgor ejus visus tuæ mentis obcæcet. Cave ne radius ejus exoriens tuum confundat aspectum: Qui è regione in solis lucem fixum intendit obtutum, repercluso lumine omnem subito amittit aspectum, æstimat se nihil videre, & intuendi munere esse fraudatum. Non igitur tetanto splendorite temerè committas, sed quando hunc vides, auctorem ejus considera: quando hunc miraris, lauda ejus cretorem. Hæc carptim ex (*b*) Ambrosio, qui etiam alibi, exemplo avium, quæ nascente sole suavissimo cantu æthera mulcent, hortatur nos ad laudes hoc tempore æterno conditoric anendas. Quis enim sensum hominis gerens non erubescat sine psalmorum celebritate diem ordiri, cum etiam minutissimæ aves solemnî devotione, & dulci carmine ortus dierum prosequantur? Illa nemorum Siren Philomela, cantillatum avicularum præcentrix quanta spiritus contentione, quanta vocum varietate in occursum solis tota diffunditur? quam sonoro modulamine, quam mirabili ardore nascentem salutat? Nunc leni voce submurmurans musicos tonos retexit: nunc harmonicis quibusdam motibus dissultans omnium modorum personat suavitatem: nunc continuo spiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc distinguitur conciso. Sed & aliarum volucrum pennatus exercitus omnium dulcedinum numeros, omnium concentuum sonos per-

^a Amb. Exam. li. 4. cap. i. ^b Idem ibid. lib. 5. cap. 12.

currens solem excipit advenientem. Rident amabili
vultu universa, dum nova luce radians sol diem red-
dit mundo, rebus colorem, floribus venustatem.
Oritur sol oculus mundi, jucunditas diei, cœli pul-
chritudo, naturæ gratia, præstantia creaturæ Oritur
sol aëris nitor, terræ decus, herbarum gloria, cor sphæ-
rarum, luminum moderator, omnium viventium ge-
nitor, magnum Dei simulachrum. Oritur, inquam,
ortuque suo ad celebrandas Numini laudes nos exci-
tans, mentem nostram ad æterni solis contemplationem
attollit.

METRUM XI.

*Iam Phœbus rutilum caput
Vectus cœruleis equis
Elatum pelago extulit.
Noctem Phosphorus horridam
Clara percutiens face,
Stellas depulit aethere.
Lux fulgens radiantibus
Pingens cuncta coloribus
Umbras lumine temperat.
Tellus omniferos sinus
Pandens aetheris ignibus
Ardet murice flammæo.
Errantes pecudum greges
Herbis luce rubentibus
Carpunt gemmea pabula.
Largis flet lacrymis polus
Noctis tristia funera,
Quas blanda excipit obstetrix
Natura, & teneris cibum
Hortis mellifluum parat.
O quam floriferum solum
Vultu ridet amabili!*

L iiiij

Flamas exacuunt rosa,
 Cudent lilia pulchrius,
 Rident prata venustius,
 Vernant cuncta decentius,
 Arguta alitum cohors
 Vocis nectare diffluens
 Nascentem recinit diem,
 Cantat flebilibus modis
 Sylvosum recreans nemus
 Ales garrula Daulias.
 Musæ ruris Achantides
 Ludentes hilari sono
 Mulcent aëra cantibus.
 O Solis nitidum jubar
 Squalentem tenebris humum
 Optata iradians face:
 Dum tu per tibi cognitas
 Altis signiferi vias
 Terris lumina dividis,
 Nos certo quoque tempore
 Immixti superum choris
 Summo carmina Numini
 Psallentes terimus diem.

II. Quis enim tot naturæ provocatus incitamentis,
 tot creaturarum invitatus obsequiis, tot exemplis com-
 motus, tam iners inveniatur, ut solari jubare perfusus,
 non illicè ejus præconia celebret, cuius benignitas so-
 lem suum oriri facit super bonos, & malos? Notissima
 est Memnonis statua in Ægyptiis olim Thebis erectora,
 quam (c) Philostratus in vita Apollonii, & Calli-
 stratus in expositione statuarum describunt. Hæc spon-
 te sua cùm radiis solaribus tangeretur suavissimum
 vocis sonitum, ut illi singunt, emittebat, primoque
 lucis fulgore in os incidente nascenti Phœbo assurgens

c Philostrat. lib. 6. cap. 3. Calistrat. lib. de expos. statuar. c. 1. & 9. ex
his Nat. Comes I. 6. Mytholog. c. 3.

Iapidea labiorum claustra in ejus laudes reserabat. Hoc fabuloſo ſciliſet integumento antiquiores Sophi nobile documentum occultarunt, debere hominem rationis compotem ad ſolis ortum iplius Conditoris majestatem adorare. Quod ſimpliciores viři haudquaquam ad illo- rum mentem percipientes, Creatoris cultum ad ſolem iplum materialē tranſtulerunt. Nam, ut ait Sapien- tia; (d) Non potuerunt intelligere eum qui eſt, neque operibus attēndentes agnoverunt quis eſſet artifex; ſed aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut ni- niā aquam, aut Solem, aut Lunam rectores orbis terrarum Deos putaverunt. Quorum ſi ſpecie delectati Deos putaverunt, ſciant quanto hiſ Dominator eorum ſpecioſiore eſt, ſpeciei enim generator hæc omnia conſtituit. Aut ſi virtutem, & opera eo- rum mirati ſunt, intelligent ab illis, quoniam qui hæc fecit fortior eſt illis: à magnitudine enim ſpeciei, & creature co- gnoscibiliter poterit creator horum videri. Hæc Sapientia.

III. Quia verò ſpecioſiſſimus creaturarum eſt Sol, plu- res quoque invenit cultores, non ſolum inter rudiores, & barbaras nationes, ſed etiam inter gentes, quæ po- litiori literatura, ac humanioribus placitis excultae erant, ut (e) Tertullianus, & Arnobius aſſeverant. De hiſ eleganter Aurelius (f) Prudentius Clemens ad- versus Symmachum ſic cecinit:

*Est qui conſpicuis ſuperos quaſiuit in aſtris,
Auiſus habere Deum ſolem, cui tramite certo
Conditio imposta eſt vigilem tolerare laborem,
Viſibus obiectum mortalibus, orbe rotunda
Præcipitem, teretique globo per inane volantem;
Et quod nemo negat, mundo, caeloque minorem.
Concinnè quoque de iisdem (g) Cyrillus Hieroſolymi-
tanus, Quidam, ait, ſolem Deum ponebant, ut occiden-
te ſole noctis tempore ſine Deo eſſent. (h) Sophocles in
Oedippo tyranno ſolem vocat primum omnium Deo-*

^d Sap. 13. 1. ^e Tertullian. in Apolog. Arnob. l. 1. ^f Prud. adv. Symm. lib. 1. Epiger. 15. ^g Cyrill. cat. 4. ^h Sopho. in Oedip. v. 675.

rum. Ejus autem vetustissimi adoratores fuerunt Persæ, & Chaldæi. Ad Persas, inquit (*i*) Tertullianus, si forte deputabimur, licet solem non in linteo depictum adoremus, habentes ipsum ubique in suo clypeo. Et Darii castra describens *Q.* (*k*) Curtius; Super tabernaculum, ait, unde ab omnibus conspici posset imago solis crystallo inclusa fulgebat. (*l*) Justinus item Historicus, Persæ, inquit, solem unum Deum esse credunt, & equos eidem sacratos ferunt. Persarum sacra sub Mithræ nomine soli dicata in specubus (*m*) Tertullianus sæpè commemorat, itemque (*n*) Luctatius Placidius, & Lilius (*o*) Gyraldus: quem errorem sequutus Basiliades Deum ~~per~~ appellabat. Quo verò ritu Persæ soli sacrificarent, tradit (*p*) Eustathius Archiepiscopus Thessalonicensis in explicatione Iliadis Homeri. Quamquam Persas ignem potius, quam solem coluisse (*q*) Maximus Tyrius his verbis affirmet. Persæ adorant ignem diarium, nimirum divinitatis signum, insatiabilem, voracem. Huic cum sacrificant alimentum præbentes his verbis utuntur, Ede ignis Domine. Chaldæos autem solem adorasse, (*r*) Diodorus Siculus scribit, qui & fabulam elegantem narrat de ejusdem solis apotheosi. Ab his ad Ægyptios solis cultus propagatus est, quos omnium primos solem pro Deo habuisse afferunt (*s*) Eusebius, & Theodoretus. Sed Chaldæis primatum in hac re astrictum (*t*) Severianus, atque inde putat (*u*) Lampridius Heliogabalo inditum nomen, à solis scilicet Sacerdotio, cum prius Varius vocaretur. Sub nomine verò Serapidis, & Osiridis Ægyptios solem intellexisse testantur (*x*) Cicero, Macrobius, Diodorus, & Plutarchus: de cuius statuæ pensilis mirabili artificio

i Tertull. in Apolog. *k* Curtius lib. 3. *l* Justinus Historic. lib. 1. *m* Tertull. libro de Baptismo, de corona militis, de prescriptionibus. *n* Placid. ad postrema carnina l. 1. Thebaid. *o* Gyrald. de Diis gen. synrag. 7. *p* Eustathius in r. Iliad. *q* Max. Tyrius sermon. 38. *r* Diodor. lib. 3. c. 8. & lib. 4. c. 5. *s* Euseb. de præp. Evang. lib. 1. c. 6. Theodoret. de cur. Græc. affect. lib. 3. *t* Severian. in catena Græca ad c. 1. Genes. *u* Lamprid. in Heliogabalo. *x* Cic. 3. de natura Deor. Macrobi. 1. Sat. c. 21. Diodor. lib. 1. c. 2. Plutarch. lib. de Osirid.

legi potest in suis Annalibus Michael (y) Glycas. Solēm quoque ab Assyriis, & Phœnicibus sub nomine Adonis maxima veneratione habitum tradit (z) Macrobius. Et (a) Eusebius Cæsariensis, Phœnices, inquit, solem adorant vocantes eum *Beelsamen*, id est cœli Dominum. Similiter Phryges sacrorum administratio-nibus immutatis eum dem sub nomine *Attinis* colebant, & eodem Macrobius Autore festivitatem in ejus hono-rem celebrabant 8. Calendas Aprilis, quem diem Hilaria appellabant, quo primum tempore sol diem lon-giorem nocte protendit. Massagetas unum solem vene-rari, & eidem equos immolare (b) Strabo, & Herodotus affirmant. Etiam Æthiopes equos soli offerebant, Deo omnium velocissimo, id quod velocissimum est sa-crificantes, teste (c) Heliodoro. Apollinem Belum vo-catum, & adoratum ab Aquileiensibus accepimus ab (d) Herodiano. Sol Græcorum Deus ab Herodoto nun-cupatur, eumque passim à Græcis pro Deo habitum (e) Pausanias asseverat. Indos adorasse solem tradunt (f) Clemens Alexandrinus, & Philostratus Lemnius. Idem scribunt de Tyriis Q. (g) Curtius, de incolis Insularum Oceaniversus meridiem Diodorus, de the-niensibus (h) Ioseph Iudæus, de Siculis (i) Phalaris Tyrannus, de Armenis (k) Xenophon, de Babylo-niis (l) Philostratus, de Pæonibus (m) Maximus Tyrinus, de Germanis (n) Cæsar, de Manichæis (o) Au-gustinus, de aliis alii. Porro à Platonicis adoratum so-lēm patet ex (p) Plotino. Sed & Pythagorici soli ori-en-ti Hymnos lyra canebant, ad quem Iamblicus elegan-

y Glycas p. 4. Annalium. z Macrob. loc. cit. a Eusebius de prep. Evang. lib. 1. c. 7 b Strabo l. 11. Herodot. in Clio. c Heliodor. in Æthiopic. lib. 9. d Herodian. lib. 8. Herodot. in Polymnia. e Pausan. in Corinth. in Iaconic. & in Arcadicis. f Clem. Alex. orat. ad Græcos. Philostrat. vit. Apoll. lib. 2. cap. 11. g Curtius l. 4. Diodor. lib. 3. cap. 13. h Joseph. lib. 2. contra. Apionem pro pè finem. i Phalaris Epist. 105. ad Canran. k Xenoph. l. 4. l Philostr. l. 1. c. 20. m Max. Tyr. fer. 38. n Cæsar. de bello gall. lib. 6. o Aug. ep. 74. & lib. 14. & 20. cont. Faustum. p Plotin. lib. 4. Enn. 4. cap. 30.

tissimam orationem composuit. Et quis ignorat mensam solis apud Aethiopes Divi (*q*) Hieronymi, & Pausaniæ scriptis celeberrimam? A Romanis item Imperatoribus dicata soli templa describunt (*r*) Aurelius Victor, Flavius Vopiscus, Eutropius, & Ammianus Marcellinus. Denique omnes gentes in solis cultum variis ritibus conspirasse (*s*) plerique auctores ostendunt. Sanctus Philastrius Brixiensis Episcopus inter haereses veteris Testamenti eam recenset, quæ soli divinos honores tribueret: Tum Hermiam, & Selencium redarguit negantes Christum sedere in carne ad dextram Patris, sed carnem in sole posuisse existimantes, illud Psalmographi perperam intelligentes, *in sole posuit tabernaculum suum*

IV. At quod attinet ad cultum solis, *sacrorum* (*t*) librorum testimonia prætermittere grande piaculum esset. Et sanè Israëlitæ à vicinis gentibus Idolorum cultum edocti ad ortum solis adorabant apud Ezechiel. Josias vero justissimus Rex eos delevit, qui soli adolebant incensum: equos abstulit, quos Reges Judæ dederant soli in introitu templi Domini: currus solis combussit igni. Lægo etiam civitatem solis, fontem solis, domum solis, quæ omnia ad falsam solis apotheosim spectasse dubium non est. Ex curru autem Heliæ currum solis descriptissime Poëtas putat Chrysostomus Homilia de ascensione Heliæ, nam sol Græcè Helios diciur. Job item amicus Dei cui similis non erat sub sole, adversus amicorum calumnias summum judicem innocentiae suæ testem in-

q Hieron. Epist. ad paulinum initio Bibliot. Pausan. in Atticis, & posteriorib. Eliacis. *r* Aur. Victor in Valeriano. Fl. Vopisc. in cod. Eutrop. l. 9. Hist. Rom. Amm. Marcellin. lib. 17. *s* Theodor. de cur. Græc. affec. lib. 3. Euseb. præp. Evang. lib. 1. c. 6. & 7. Phornut. denat. deor. Apollodorus. in Biblioth. Fulgentius, & Nat. Comes in Mythologiis. Artemidor. l. 2. c. 36. Julian. Imp. or. 4. Seneca de benef. l. 6. c. 21. & 23. l. 7. c. 31. Sext. Empyr. l. 8. adu. Mathem. Mapheus Vegius Lauden. in disputatione inter solem, terram, & auru Gyrald. de Diis. & Ezech. 8. 16. 4. Reg. 25. 5. 11. Jos. 150. 7. Id. 19. 41. Isa. 19. 18. Hier. 43. 13. Chrysost. to. 1. Job. 13. 26:

vocans, suasque virtutes modestè enarrans ait: *Si vidi solem cum fulgeret, & latatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo, quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum.* Quasi diceret vir patientissimus, Affligat me Deus, & non parcat, si cultum sibi debitum transtuli ad creaturam. Numquam me jucundissimus orientis solis aspectus splendoris illecebris, oculorum lenocinio ita pellexit, ut divinum illi numen inesse crederem, ac propterea osculata manu, & in cœlum porrecta divinos eidem honores impenderem. Hac enim adorationis specie externum quoddam obsequium exhibit Soli gentes, quæ verum Deum ignorant: immò sub specie obsequii nobilis creaturam multiplici afficiunt contumelia, de qua re eleganti prosopopœia idololatras reprehendit ipse met sol apud Julium (n) Firmicum Maternum. Solem vero non esse Deum probat eleganter, & diffusè (x) Zacharias Episcopus Mitylenes in disputatione de mundi opificio. Hinc putat (y) Lipsius adorandi verbum derivasse, quia manus ad ora admovebant adorantes: non ab ador (frumenti id genus est) quod censet Grammaticorum acumen. Adhibita vero oscula in Solis, aliorumque Deorum cultu certissimum est. Sed cum plerique vererentur ore profano Deos ipsos tangere, eminus stantes manum porrigebant, eamque statim ad os suum referebant, & suaviabantur. Hunc adorantium habitum sacra Regum Historia ostendit, dicens: (z) *Et omnes, quod non adoravit Baal, osculans manum.* Eundem morem plures ingerunt Scriptores. Minutius Felix in Octavio: Cæcilius simulacro Serapidis denotato, ut vulgus superstitionis solet, manum ori ad movens osculum labiis pressit (a) Lucianus Samosatenus: *Si quis est pauper, ita Deo litat, ut dexteram dumtaxat suam osculetur.* (b) Apuleius:

(n) Jul. Firmic. lib. de errorib. prof. Relig. cap. 8. (x) Zacharias de mundi opificio. (y) Lipsius 1. 2. elect. cap. 6. 7. 8. Reg. 19. 18. (a) Lucian. de sacrificiis. (b) Apul. Apolog. 18.

Nefas habet adorandi gratia manum labris admoveere.
 (c) Athenagoras : Osculum adoratio quædam est. Plura reperiet qui voluerit apud (d) Pithœum in Adversariis, & (e) Muretum in variis lectionibus. Ex hac autem adorandi ratione ille forsitan ritus emanavit, quo principibus viris manus osculari solemus, de quo legendus in Parergis Franciscus (f) Luisinus Utinensis criticus exquisitissimus. Sed jam ad Solem, à quo digressi sumus, his obiter adnotatis, revertamur.

§. II.

*Omnes Ethnicorum Deos referri ad Solem. Cū
oremus versus Orientem.*

I. **A**Urelius (a) Macrobius luculentus Auctor, & doctus omnes Deos gentium referri ad solem longo, & eruditio sermone demonstrat ex Orpho, Homero, Hesiodo, Platone, aliisque doctrina præstantibus viris, qui numerosam illam Deorum congeriem ad unum Solem revocarunt, cuius varios effectus facilis, & rudis antiquitas varia esse numina censuit, quæ variis quoque nominibus distinxit. Explicat hanc doctrinam eximius Philosophorum Plato in Cratylo, & secundo de legibus. (b) Nonnus Panopolita in Dionysiacis Bacchum introducit, qui solem deprecans sic canit : Belus es Euphratæ, Lybicus vocatus Ammon, Apis es Niliacus, Arabs Saturnus, Assyrius Jupiter. Et infra. Sive Serapis es Ægyptius, sive Mithris Babylonis, in Græcia Delphicus Apollo, sive tu Pæon dolorem mitigans. Sive es Æther varius, sive Astrochiton. Eadem ferè habent (c) Proclus Lycius in Hymno foliis, &

cAthenag. in legatione ptopè finem. d Petr. Pith. Adversat. lib. 1. cap. 7. e Murct. var. leet. l. 10. c. 1. f Franc. Luisin. l. 2. patagon cap. 19. a Macrob. 1. Satur. à cap. 17. ad 23. b Nonnus in Dionysiac libe 40. v. 396. c procl. in Hym. foliis v. 24.